

NE VACARENT SE-  
 QVENTES PAGELLAE, NON  
 ABS RE VISVM EST DE PONDE-  
 ribus, Item de mensurarum & monetae reso-  
 lutione aliqua subnectere, quòd in ex-  
 ercitijs his Arithmeticis hæc  
 vsitatissima sunt.

De ponderibus Ro-  
 manis.

**P**ONDERIS & librae nomen differunt. Ponderus  
 enim dicitur alicuius rei per libras aliàsque  
 partes aestimatio, vt cum dico: Pendet centum-  
 pondium & libras 35. Idem est, ac si dicam, habet  
 pondus centum librarum & 35 librarum: vbi pon-  
 deris appellatio generalis est ad Centenarium &  
 ad libras.

Libra verò cum suis partibus, quæ aliàs etiam  
 pondo dicitur, est certa & demensa ponderis por-  
 tio: Sic in vernacula lingua pondo dicitur ein  
 Gewicht. Libra verò seu pondo 1. lb. schwer.  
 Vbi obseruandum, quòd pondo, cum absolutè po-  
 nitur, idem est, quod libra, Vt, habet pondo tria,  
 idem est ac si dicā, habet libras tres: Sin alteri vo-  
 cabulo ponderis iungitur, idem valet quod pon-  
 dus, Vt: Habet pondo trium librarum, habet pon-

E 4 do